



Universitätsbibliothek Paderborn

Acta Ecclesiae Mediolanensis

Actorvm Ecclesiae Mediolanensis, Pars Tertia - In Qva, Liber Memorialis Ad
populum Ciuitatis, & Dioecesis Mediolanensis, A Beato Carolo Borromaeo
Titvli Sanctae Praxedis compositus continetur

Borromeo, Carlo

Brixiae, 1603

Decretum certi temporis, intra quod Episcopi causas, & facultates
exhibeant absentiae.

urn:nbn:de:hbz:466:1-10502

quartæ & quintæ synodi auctoritate apostolica comprobarentur. Cuius quidem prudens consilium, & itineris suscepti causas, vt ipsa a me petit, pro ea quæ mihi tanquam antiquiori Episcopo suffraganeo ex præscripto Tridentini Concilij attributa est, potestate, non solum omnes vt iustas & legitimas approbo, immò pro totius prouinciæ ecclesiæ, & suæ Metropolitanæ bono, eas necessarias existimo; ob id quæ sibi tandem abesse licere, vt ea negotia, quorum causa iter suscepisti peracta, & decreta Synodi recognita fuerint.

His literis lectis, Illustriss. Metropolitanus a Reuerendiss. Patribus requisit, vt munus cognoscendi super huiusmodi facultate absentia suæ suscipere vellent. Verum Reuerendiss. Patres ex communi voto hoc negotium totum Reuerendiss. Episcopo Cremonensi commiserunt.

Mox Cancellarius de mandato Illustrissimi Metropolitanus ex præscripta formula vocauit Procuratores Episcoporum absentium.

Qui per R. D. Archidiaconum præsentate Magistro Cæremoniarum ad Illustriss. Metropolitanum introducti, concordantes & consentientes omnes nomine principalium suorum petierunt certum terminum sibi statui ad exhibendas & allegandas causas absentia Reuerendissimorum Dominorum suorum Principalium ab eorum Dicecesibus.

Quibus auditis Illustrissimus Metropolitanus ita decreuit.

Decretum certi temporis, intra quod Reuerendiss. Episcopi causas & facultates absentia exhibeant.

Nos Carolus &c. Omnibus & singulis Reuerendissimis huius prouinciæ Coepiscopis, qui ab ecclesijs suis singulis annis ultra tres menses etiam interruptos abfuerunt & absunt, assignamus terminum quatuor mensium, ad allegandum causas absentia ab eorum ecclesijs, ultra trimestre etiam interruptum, & exhibendum facultates scripto exaratas, & concessas a Sanctiss. D. N. seu a nobis, aut nobis absentibus a Reueren-

dissimo Episcopo Dertonensi antiquiore suffraganeo; quo termino elapso agatur ad præscriptum Concilij Tridentini.

Deinde vocati sunt Procuratores capitulorum.

Tum Testes Synodales, qui pro sui officij ratione ea referrent, quæ sui essent muneris.

Vocatione demum ex ordine tabellæ absoluta, Reuer. Promotores petierunt Congregationem proximè sequentem differri.

Congregatio priuata.

Feria ij. die xxj. presentis mensis Maij Congregatio priuata est habita, & in hac circa finem interfuerunt omnes superiores Regularium: inter quos aderant admodum Reueren. Patres Generales, Fratrum Minorum de obseruantia, & Franciscanorum conuentualium, qui visitationis gratia Mediolani hoc tempore commorabantur. Illustriss. Metrop. & Reuerendiss. Patres de executione decretorum Prouincialium & edictorum, præsertim quæ ad obseruationem dierum festorum, & modum religiosè & piè in Ecclesijs versandi pertinent, & eorum quæ pro bono regimine Monialium hætenus constituta sunt, & singulariter egerunt pro remedio efficaci & absoluto adhibendo, vt in omnibus Ecclesijs, etiam regularium, mulieres ad præscriptum velata sint. Vt laici omnino arceantur a choro. Vt instrumentorum musicorum vsus in Ecclesijs perpetuò interdictus sit, vt etiam alias cum ipsis regularium superioribus in Congregatione conclusum fuit. Omnes polliciti sunt pro sua virili effecturos, vt decreta & edicta prædicta in suis Ecclesijs seruentur: verum Illustriss. Metrop. ipsis minatus est de efficaciore etiam remedio a Sanctiss. D. N. implorando, si negligentes erunt.

Congregatio publica.

Die xxij. hora xxj. Habita est de nocte Congregatio publica, quæ vltima fuit.

Inser